

4. Post Marcellinum episcopum Marcellum inserit catalogus Liberianus, non agnoscit Index¹ recte omnino, quamquam viri docti omnes opinor, in his Rossius et Duchesnius, illum secuti sunt. At primum facit cum Indice laterculus insertus chronographiae a. 354 depositionum episcoporum Romanorum ordinatus a. 336 (chron. min. 1 p. 70) plenus inde a Lucio († a. 254; Xystus II. transiit in feriale ecclesiae Romanae laterculo subiunctum) non habens Marcellum. Item Hieronymus gravissimus auctor episcopo Romano XXVIII Marcelliano (sic) subiungit ad a. Abr. 2321 XXVIII Eusebium². Id ipsum faciunt Optatus et Augustinus locis supra citatis³ episcopos nominatim enumerantes. Denique ipse catalogus Liberianus res gestas ita enarrat, ut interpolationis origo inde pateat, scilicet misso Marcello tempora ita ordinans:

Marcellinus ordinatus a. 296 Iun. 30.
 episcopus a. VIII m. III d. XXV
 [damnatus a. 303 Aug. 23⁴].
 depositio eius a. . . . Ian. 15.
 cessat episcopatus a. VII m. VI d. XXV
 Eusebius ordinatur a. . . . Apr. 18.
 episcopus — m. IV d. XVI
 depositio eius a. . . . Aug. 17.
 Miltiades ordinatur a. 311 Iul. 2.

Hi numeri quamquam non ad amussim concordant, satis conspirant et inter se et cum reliqua rerum notitia nobis tradita. Cum cessarit episcopatus post Marcellinum occisum, quando Christiani in urbe Roma ad episcopum rursus creandum, scilicet Eusebium, animos confirmarint, non traditur. Sed cum persecutioni in urbe Roma finem imposuerit Maxentius et episcopo Miltiadi bona ecclesiarum

1) Indicis exemplaria omnia (nam de quinti lectione parum constat) pro Marcellino et Marcello unum Marcellum ponunt, qui vere est Marcellinus. 2) Consentientibus in omittendo Marcello codicibus melioribus omnibus accedente Prospero (chron. min. vol. 1 p. 446 c. 949 p. 447 c. 972) eum interpolat codex Leidensis Scal. 14 (*F* Schoenii) saec. IX descriptus qui videtur ex exemplari scripto imperante Anastasio. Si constaret interpolationem illam sumptam omnino ex libro Pontificali adfuisse iam in archetypo, faceret id ad huius aetatem determinandam; sed possunt haec addita esse tempore longe posteriore. 3) Apud Augustinum codices variant, sed in quibusdam desiderari Marcellinum testantur Maurini. 4) Acta ficticia concilii Sinuessani (Mansi vol. 1 p. 1257): *damnatus est Marcellinus episcopus suo iudicio X h. Sept. Diocletiano VIII et Maximiano VII clarissimis consulibus*. Acta haec qui finxit saec. VI. ineunte diem iudicii vix videtur commentus esse. Antea quoque (p. 1251) idem auctor meminit Vulcanalium, qui dies idem est.